

602.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
 QVA
 HISTORIA LITIS
 DE LOCO
 VENAESESECTIONIS
 IN PLEVRITIDE
 SAECVLO XVI. IN PRIMIS HABITAE
 VENTILATVR,

QVAMQVE
 CONSENSV FACVLTATIS ILLVSTRIS MEDICAE,
 PRAESIDE

PHIL. FRID. MECKEL,

MED. DOCTOR. ET PROF. PVBL. ORDIN., INSTITVT. CLIN.
 CHIRVRG. DIRECTORE,

PRO
 GRADV DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OBTINENDO

DIE SEPTEMBRIS MDCCCXCIII.

PVBLICE DEFENDET

GVILIELM. THEODOR. MASCHKE,

BYCHWALDIA - SILESIVS.



HALAE,

TYPIS CVRTIANIS.

378

V I R O
ILLVSTRI ATQVE EXPERIENTISSIMO,
D O M I N O
I O A N N I G O D O F R E D O
C L A S S ,

MEDICINAE DOCTOR.; COLLEGH MEDICI ET SANITATIS
CIRCVL. GLOGAVV. DECAN. ETC.

NEC NON

V I R O

DOCTISSIMO AD CINERES VSQVE SVMME
VENERANDO PATRI MEO OPTIMO

CHRISTIANO MASCHKE,

PASTORI BVCHWALD. ET WIESENAVV.
IN CIRCVLO GLOGAVVIENSI,

HASCHE

STVDIORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS

CONSECRAT

A V C T O R.

I.

Instituti ratio.

Historiam doctrinae de vena secanda in pleuritide primus Renatus *Moreau* rudi penicillo, ut ita dicam, leviter adumbravit. ¹⁾ Praeter nomina scriptorum et generalem opinionum mentionem fere nihil lectu dignum monumento suo reliquit. Nuperimis vero temporibus celebris quidam auctor edidit librum, quem titulo *historiae venae sectionis* insignivit, ²⁾ qui vero praeter excerpta quaedam ex veteribus loca de vicissitudinibus et fatibus huius operationis vel maximi momenti parum continet. More suo auctor modo senatoria quasi gravitate expugnat et opprobrio vertit nuperiorum scriptorum doctrinam, iam *iocularia ridens percurrit*, nunc scurrili et petulantissima dicacitate utitur, graviora historiae huius momenti quasi per transfennas adspiciens.

Historiam praesertim litis famosae, quae saeculo decimo sexto de loco venae sectionis in pleuritide acerrime

¹⁾ Ren. *Moreau* de missionne sanguinis in pleuritide, 8. Paris 1630.

²⁾ Versuch einer Geschichte des Aderlasses, von I. F. *Mesler*, 8. Ulm. 1793.

acerrime habebatur, in accessionis loco, quasi aliud agens, strictim ac modice tantum attingit *Mezlerus*. Quae rixa vero, cum pragmatica tractatione satis digna videatur, et boni historici sit, tum a partium studio plane alienum esse, tum etiam a trutinandis et enubilandis humani studii erroribus nunquam deterreri; brevibus signare, non eloqui, historiam huius litis mihi proposui. Fines autem angusti et temporis et huius libelli obstant, quo minus in ampliorem campum discussionum possim exspatiari. Vellem tantum, iudices aequi tentamen hoc *ex fontibus ipsis*, quantum fieri potuit, *elaboratum* attentione haud indignum putent,

2.

Hippocratis de loco venae- sectionis opinio.

In inflammatoriis morbis provida natura saepius haemorrhagias salutares promovet. Haec simplex observatio videtur primam exhibuisse occasionem ad venae-sectionis operationem. Quonam vero loco sit instituenda phlebotomia, naturae ipsius nutibus ducti medici forsan primum decreverunt. Exstant enim bene copiosae observationes de haemorrhagia naris potius dextrae, quam sinistrae in hepatis, et sinistrae
potius

potius quam dextrae in lienis inflammationibus. 3)

Hinc itaque in pleuritide venam brachii internam, sed nullo apposito discrimine, an dextri vel sinistri, secandam esse Hippocrates iubet. 4) Hippocraticus autem auctor, qui appendicem libri citati composuit, expresse lateris affecti venam esse incidendam suadet. "*Si quidem dolor, inquit, sursum ad iugulum tendat, vel ad mammam et brachium, internam brachii venam secare oportet, ea parte, qua dolor affligit.*" Celeberrimus praeterea est locus, ubi Hippocrates 5) in doloribus capitis posterioris prodesse dicit venae rectae in frontem excurrentis sectionem. 6) Meo quidem arbitrio hic quoque vicinia loci dolentis determinat locum venaesectionis, neque ad contrarietatem ullo modo potuit auctor respicere, cum vicinior locus, venae secandae aptus, nullus in cephalalgia posterioris partis exstet, quam vena frontalis.

Post Hippocratem vigere perrexit eadem methodus depellendi sanguinem, ex vicinis partibus, donec dogmatica schola, mutata theoria, mutaret etiam antiquam huius operationis methodum.

3.

- 3) Boerhaav. aphorism. 923. Stoll aphor. 260. --- Cf. Donat. Ant. ab Altomari de med. hum. corp. mal. c. 50. p. 378. (8. 1563.)
Valles. controvers. med. lib. VII, c. 4. pag. 303. (fol. 1582.)
- 4) De rat. vict. in morb. acut. sect. 2. p. 56. (Opp. ed. sect. IV.)
- 5) lb. sect. 4. p. 72.
- 6) Aph. V. 68.

Doctrinae de revulsione et derivatione ortus.

Dogmatica enim pristina schola, quae originem suam non diu post mortem *Hippocratis* habet, introduxit doctrinam de decussatione vasorum in corpore humano, quo facto opinio de necessaria remotiorum venarum sectione insignem acquisivit auctoritatem. *Polibus* enim, *Hippocratis* 7) gener, quem libri *de natura humana* auctorem esse *Aristoteles* testatur, vasa sanguifera praecipua per corpus humanum sic distribui censuit: *) “Unum par venarum ex capite retro per cervicem, parte exteriori ad utraque spinæ latera, indeque in coxendices et crura pervadit, deinde per tibias ad exteriores malleolos et pedes pervenit. In dorsi igitur et coxendicum doloribus ex poplitibus et malleolis exterioribus venae sectiones fieri debent. Alterae autem venae ex capite exortae, iuxta aures per cervicem, iugulares dictae, intro secundam spinam utraque ex parte ad lumbos, in testes et femora, et per poplites, interiore ex parte, indeque per tibias ad malleolos internos et ad pedes deferuntur. Proinde in lumborum et testium doloribus sanguis e poplitibus
“ et

7) Hist. animal. lib. III, f. 265. a. (ed. Erasm. Roterod. fol. Basl. 1531.)

*) Lib. de natura humana p. 8. (Opp. ed. sect. III.)

"et malleolis interioribus est mittendus. Tertium par
 "venarum ex temporibus per cervicem subter omopla-
 "tas ad pulmonem defertur, et haec quidem ex dextris
 "ad sinistra, illa vero a sinistris ad dextra provenit.
 "Et dextra quidem ex pulmone mammam subiens et
 "ad lienem et ad renem tendit. Quae vero a sinistris
 "ad dextra procedit, ex pulmone mammam subiens,
 "et iecur et renem petit. Utraque postremo in
 "rectum intestinum definit. — Studendum itaque est,
 "ut quam longissime a locis, in quibus dolores fieri
 "et sanguis colligi consuevit, venarum sectiones
 "fiant.,

Hac singulari prorsus et perversa angiologia nite-
 bantur commenta quorundam veterum auctorum, de
 venaesctione in opposito latere necessaria. Quodsi
 enim ea vasa, quae ex dextro latere oriuntur, postea
 ad sinistrum transeant, necesse erit, ut haec communitio
 vasorum sese decussantium in venaesctione servetur.
 Cum autem dogmaticae scholae asseclae non pauci sua
 venderent scripta pro *Hippocratis* monumentis; *Galenus*
 eo deceptus Coi medici inventum etiam credidit
 hanc doctrinam. 9)

Accessit deinde *Aristotelis* opinio, de syzygiis quibus-
 dam aut harmoniis contrarias partes corporis humani
 com-

9) Meth. med. lib. V. p. 84. (Opp. vol. IV. ed. Basil. fol. 1538.)

complectentibus, quam ex simplici observatione de *sympathiae* dominio abstractam obscure explicavit et haud satis recte adhibuit ad physiologiam. 9) Tres quidem has syzygias, ab externis ad interna, ab anticis ad postica, a dextris ad sinistra, schola dogmatica usurpavit, ut necessitatem revulsionis in remotis partibus instituendae defenderet. Ad experientiam insuper refugiebant, qua constat, naturam ipsam quandoque ex contrariis partibus sanguinem evacuare. Mulierem enim sanguinis vomitu laborantem solvi hoc morbo, dum menses profluant, vetus est antiquitatis totius effatum. 10)

4.

Pneumaticae scholae doctrina.

Interea tamen plurimi ab Hippocratis aevo ad primi usque saeculi (post Christum natum) finem scriptores praefere solebant derivationem, seu phlebotomiam ex vicinis partibus sectioni venarum remotas partes percurrentium; donec, theoria Stoicorum praelucente, nova secta caput extolleret, quae *pneumaticorum* nomen sibi vindicavit. Cum Stoici philosophi, teste *Galeno* 11) in physiologicis theoriis vestigia
Aristo-

9) De ingressu animal. f. 197. b.

10) *Galeni*. l. c.

11) De facult. natur. lib. II. p. 100.

Aristotelis premerent, pneumatici quoque, Stoicorum affidui aemuli, a partibus Stagiritae stare, ipsiusque commenta ad theoriam medicam applicare strenue fategerunt.

Ad doctrinam itaque Aristotelis de syzygiis *Archigenes* Apameensis, omnesque fere eiusdem aetate, phlebotomiam in aduerso latere esse instituentem, docuerunt. ¹²⁾ Uberrimam huius argumenti expositionem apud *Aretacum*, sectae pneumaticae optimum scriptorem inueniris. ¹³⁾ Tota deinde methodicorum schola eidem doctrinae firmiter adhaesit, neque phlebotomiam, nisi in latere dolenti contrario, instituit. ¹⁴⁾

5.

Galenus sibi optime non constans.
Sectatores ipsius.

Quodsi quis contradictiones omnes et opiniones *Galenus* sibi e diametro oppositas colligere voluerit, is certe Herculeum laborem susciperet et Augias stabulum

¹²⁾ *Aet. tetrab.* II. ferm. 4. c. 68. p. 829. (ed. *Cornar.* 12. Lugd. 1560.)

¹³⁾ *Aret. acut. chrat.* lib. I. c. 10. p. 89. 90. (ed. *Boerhaav.* fol. L. B. 1735.)

¹⁴⁾ *Cael. Anvel. acut.* lib. II. c. 18. p. 119. (ed. *Annemann.* 4. Amstfeld. 1755.)

lum purgare sibi fumeret. Gloriabatur, se *Hippocrati* strenue adhaerere, neque tamen satis abstinuit tum ab *Aristotelis* philosophumenis, tum a feriorum medicorum maxime inter se dissentientium opinionibus. Syncretismo utens pernicioso, facile discessit a se ipso; unde summa nata est posteritati difficultas, quae conciliare studeret opiniones *Galen*i inter se contrarias. Ut circa pauca tantum loca subsistamus, Pergamenus medicus defendit venaesectionem ex vicinis partibus, duobus, 15) totidemque locis tuetur phlebotomiam ex partibus remotis. 16) Si quis vero plura *Galen*i loca de hoc argumento legere cupiverit, adeat *Horat. Augenum* 17) et *Petr. Brissotum*. 18)

*Galen*i sectatores dissenfu opinionum ipsius irretiti, modo in hanc, iam in illam partem abierunt. *Oribasius* quidem in initio inflammationis, ubi materies inflammationem excitans adhuc fluere pergit, revulsio- nem suscipit ex remotis partibus; dum vero phlogosis statum suum iam adeptus est, et chronicam obtinuit naturam, ex vicinis partibus derivationem tentat. 19)

Aetius

- 15) De curat. per sanguin. mission. p. 17. 21. --- Comm. 4. in vict. acut. p. 106.
 16) De arte cur. ad Glauco. lib. II. p. 209. --- Comm. in aphor. V. 68. p. 300.
 17) De rar. cur. per sanguin. mission. lib. VII. c. 11. p. 207. (fol. Frcf. 1598.)
 18) Apologetica disceptatio etc. 8. Basl. 1529 (sine pag. num.)
 19) *Oribas.* collect. med. lib. VII. c. 5. 6. p. 253. f. (ed. *Rafar.* 8. Basl. 1557.)

Aëtius Amidenus modo loci patientis, iam remoti membri venam fecat, fidus Galeni affecla. ²⁰⁾ *Alexander* vero Trallianus, medicus non saeculi tantum sui, sed omnis aevi recentiorum Graecorum optimus, suam singularem viam incedens, neque discrimen, neque delectum ullum venarum statuit. Cum enim totum systema venosum arte inter se cohaereat, aequum esse valorem phlebotomiae, sive in vicinis, sive in remotis partibus instituat, docet. ²¹⁾ *Paulus Aegineta* ex vicino loco sanguinem in pleuritide detrahit. ²²⁾ Eandem opinionem retinent *Ioannes Actuarius*, ²³⁾ et *Demetrius Pepagomenus*, ²⁴⁾ (quod arthritidem attinet.)

6.

Arabum sententia.

Mutuo acceperunt Arabes totum scientiarum suarum ambitum a Graecis, neque ultra sapere unquam ausi sunt. Cum autem Graeca legere haereticum putarent, a Nestorianis quibusdam Syris elaboratis versionibus utebantur, quas iterum ex Syrica dialecto

²⁰⁾ Tetr. 1. ferm. 3. c. 12. p. 562.

²¹⁾ *Alexand. Trall.* lib. I. c. 17. p. 102. (ed. *Guinther. Andern.* 8. Basl. 1556.)

²²⁾ Lib. III. c. 46. p. 105. (fol. Basl. 1538.)

²³⁾ *Method. med.* lib. IV. c. 4. p. 219. (Coll. *Stephan.*)

²⁴⁾ De podagra c. 23. p. 58. (ed. *Bernard.* 8. L. B. 1743.)

dialecto in Arabicam mutari curaverunt. Qualis
 quantaque inde orta sit theoriarum et doctrinarum
 dissensio et confusio, facile quis sibi poterit imagi-
 nari. Nonnunquam versiones memoratae textus verbis
 plane contradixerunt, quod, praeter *Brissotum*, offen-
 dit etiam Andr. *Thurinus*. 25) Verba enim textus:
 Φλεβα δει τεμνειν εξ αγωνος του κατ' ευθυ, verterat
 Syrus vel Arabs: oportet secare basilicam oppositi la-
 teris. Quoniam itaque ipsi veteres Graeci secum
 non convenerunt, Arabes multo minus hanc litem
 componere ausi sunt. Hinc summa dissensio inter
 auctores huius nationis celeberrimos.

Aharun quidem 26) et *Hhonnin* s. *Ioannitius*, 27)
 ipsi Syri, Graecos ipsos legerant, ideoque non mi-
 rum, si iisdem strenue adhaeserint. Defendunt phle-
 botomiam ex loco vicino. *Serapion* vero 28), *Rha-
 zaeus* 29) et *Avicenna* 30) in initio, dum materies ad-
 huc irruit in partem affectam ex contrario loco, et
 remo-

25) De curat. pleur. per sanguin. miss. f. 47. a. (opp. ed. Rom. fol.
 1545.)

26) *Rhaz.* contin. lib. IV, c. 2. f. 79. b. (ed. Locatell. fol. Venet.
 1529.)

27) *lb.* lib. XV. c. 6. f. 316. a.

28) *Practica* tr. II. c. 21. f. 19. c. (4. Lugd. 1525.)

29) *Contin.* lib. IV. c. 2. f. 76. d.

30) *Canon.* lib. III. fen. 10. tr. 5. c. 1. p. 660. (ed. Paullin. fol.
 Venet. 1595.)

remotissimis partibus gradatim defillare iubent sanguinem, qui vero, ubi morbus iam confirmatus est, ex vicinis partibus depleri potest. *Avicenna* praepri-
mis nititur celeberrimo illo, sed male intellecto
aphorismo, ubi *Hippocrates* venae frontalis sectio-
nem ad cephalalgiam postici capitis commendat. Cre-
dit enim Arabs, hoc consilio suaderi venaesectio-
nem in oppositis et remotis partibus, quia forsan
traductor recta descendente venam male verterat. 31)
Avenzoar denique, ceteroquin bonus observator,
tantopere tamen a veritate secedit circa hoc obie-
ctum, ut iratis precibus illos urgere audeat, qui in
affecto latere venam secuerint. 32)

7.

Latinobarbari Arabistae.

Ne digitum quidem latum ab Arabibus ausi sunt
scriptores saeculorum barbarorum discedere. Adeoque
etiam hanc operationem bona fide assumerunt, qua-
lem Arabes docuerant. Manifesto hanc servilem vi-
dere licet imitationem in *Symphoriano Campegio*,
scriptore saeculi decimi sexti, sed compilatore ἀνεπι-
τομυθῶ, qui Graecorum et Arabum consensum simu-
lat circa venaesectioem ex opposito latere praesertim
in

31) Lib. III. fen. 1. tr. 2. c. 11. f. 457.

32) Theis. lib. I. tr. 16. c. 3. f. 23. b. (ed. Venet. fol. 1496.)

in initio pleuritidis. 33) Barbarorum auctoritate ducti, isti scriptores ad dolorem capitis venas in malleolis primo secare, quia secundum unicam diametrum, seu syzygiam, longitudinis scilicet, sunt remotissimae, deinde paulatim accedere propius iubent, secundum diametrum eandem. Secant nimirum secundo communem in brachio venam, ultimo externam, atque hanc non sine timore, ut qui ad male affectam partem trahere vereantur. Qui illorum maxime audaces sunt, dimittunt malleolos, scissionem tamen venae medianae ante externam, nulli illorum negligunt. Hic inprimis timor irruentium amplius humorum in partem affectam suavit ipsi, ubique ad remotas partes confugere, et simul tantum paulatim pluribus vicibus sanguinem detrahere. Abominabantur tantopere boni Hippocratis consilium, qui ad syncope usque in extremis et ancipitibus casibus sanguinem evacuavit, ut cane peius et angue fugerent debilitatem, quae immediate excipere talem venae sectionem videbatur.

8.

Petr. Briffotus.

Surrexit tandem et graece doctus et Hippocratis doctrina satis imbutus, qui in viam rationis iterum

33) Symph. Camp. *ιστην κρωτική* lib. III. c. 6. p. 224. f. (8. Basil. 1547.)

rum et experientiae, quam deseruerant, conabatur deducere medicos, — *Petrus Brissotus*, doctor medicus Parisiensis. Hic ab anno 1514 inde, *Hippocratem* et *Galenum* barbaris sui aevi anteponebat, cogitavit de restituendo pristino artis medicae splendore. Cum mos ad id usque tempus esset, in *Mesuen*, *Rhazaeum* et *Avicennam* lectiones habere, noster Galeni librum ad *Glauconem*, ex *Leoniceni* versione, primus suis praelectionibus substravit. Interea pleuritis grassabatur epidemica per totam urbem: *Brissotus*, qui iam diu docuerat, venam in pleuritide loco affecto vicinam secari debere, hanc doctrinam experientia sua confirmare et illustrare satagit. Emisit auditorum aliquem, qui per suburbia Parisina circumvagans unicuique pleuritico gratis venam secaret modo Graeco et Brissotiano. Quod quidem cum felici successu factum fuisset, disputationem publicam *Brissotus* habuit 1515 de vena in pleuritide secanda, qua rationem experientiae confirmavit. 34). Ad ipsius partes transiverunt non multo post duo viri, et annorum longa serie et ipsa doctrina venerabiles, *Ville-morus* et *Helinus*, quibus *Brissotus* ostendit ipsum graecum textum cum glossate Arabum, male textum intelligentium.

Multo maior tamen fuit adversariorum, qui dente quasi *Theonino* ipsius famam circumroderent,

B cohors:

34) *Morveau* de miss. sang. in pleurit, p. 98.

cohors: quos, ut effugeret, simul autem peregrinationibus divitias historiae naturalis colligeret, adiit Lusitaniam. Eborae curavit pleuritides 1518 ibi grassantes eodem modo, quem iam antea commendaverat. Dum haec aguntur, impetum concepit belli contra nostrum gerendi *Dionysius* archiater Lusitaniae regis. Ad longam huius et invektivam epistolam scripsit *Brissotus* apologeticam illam disceptationem, quae laude et fama, quas obtinuit, satis digna est. Libellus enim ingenii rapiditatem singularem et animi vim haud mediocrem prodens, ipsum immortalitatis sigillum ferre videtur.

Primum autem, ut in ipsam libelli oeconomiam transeamus, ostendit, humores in partem aliquam irruentes non semper revelli debere: naturam enim ipsam orgasmis et congestionibus valde activam esse. Deinde docet, venas dextri et sinistri brachii, aequè distare fere a loco in pleuritide patiente: hic enim cum saepius non ita procul a trunco venae cavae absit; perinde esse, si quis ex sinistro sive ex dextro brachio sanguinem mittat. Quodsi revulsio semper derivationi anteponenda sit, posse etiam illam in brachio propinquo institui, quippe quod soleat ubique iusta abesse distantia a loco patiente. Huc accedere, quod ex locis vicinis fere semper ipse humor morbosus, ex remotis vero, etiam humores sani eliminantur. Ex remotis artubus revulsionem aegre fieri,
cum

cum paulatim semper sanguis mittatur, quod in peracutis morbis periculum augere debeat. Eae omnino revulsiones ex vicinis artubus videntur ipsi metuendae, quae stimulo adaucto, orgasmum promovent versus partem affectam. Hoc vero fieri haudquaquam venaesectione evincere conatur. Militat denique, quemadmodum decet hominem sui conscium et libertate gaudentem, contra auctoritatis praepudicium. Citat tamen veteres, qui a partibus ipsius steterint.

9.

Litis nexus cum historia publica.

Mortē haud opinata et praematura impeditus est *Brissotus*, quominus suum ipse edere posset opusculum. Dysenteria eum sustulit anno 1522. Post mortem promulgatus libellus excitavit animos virorum, pertinacia sueta suorum Arabum vestigia prementium. *Dionysii* affectae lites non solum seruerunt ac moverunt, sed extorserunt etiam, animo saucii, consilium academiae Salmanticensis. At, proh deum immortalem, quantus fuit furor ipsorum, dum academia pro *Brissoti* opinione decerneret 35). Ira inflammata adierunt ipsum imperatorem, qui, hinc ignominiam, prohiberet venaesectionis modum, quem *Brissotus* introduxerit, illaquearetque pertinaces ad-

B 2

versarios

35) Moreau p. 102.

versarios omnium legum periculis. Forſan quoque aliquid impetraſſent, niſi *Carolus III.* dux Sabaudiae, pleuritide correptus, poſt ipſam Arabicae phlebotomiae adminiſtrationem, fato ereptus eſſet ³⁶). Poenarum gratiam non ſolum accuſatis largitus eſt imperator *Carolus V.*, ſed ipſe ſuppreſſiſſe dicitur totam nimis acrem dimicationem. Interea tamen in duas abiverant medici toto coelo diverſas ſcholas, quarum altera ſatagebat defendere Arabum doctrinam, altera ſtudebat novis illuſtrare argumentis novam a *Briffoto* commendatam methodum.

IO.

Andr. Thurinus. — Io. Manardus.

Anno 1525 demum apologetica diſceptatio *Briffoti* orbi literario innotuit. Tum *Andr. Thurinus*, Peſcennensis, archiater pontificum Clementis VII. et Pauli III., ad *Briffotum* iam pridem mortuum, dedit epiſtolam reſponſoriam, ubi vetera illa cõmentata de neceſſitate revulſionis ex remotis artubus in initio pleuritidis recoquit. Paucam enim, inquit, in initio confluere materiam ad partem affectam: hinc revulſionem ex membris remotis optime ſuccedere ³⁷). *Hippocratis* celeberrimum locum, quo ſuadetur venae-

36) Thadd. *Dani* nov. conſtit. artis revell. lib. II. c. 4. f. 47. a. (8. Tigur. 1557). *Moreau* l. c.

37) *Andr. Thurini* opera, f. 67. a. (fol. Rom. 1545.)

naefectio in proximo brachio, ita explicavit, ut, omiffisse ifto loco curationem prophylacticam, et ilico ad ipfam medelam confugiffie arbitretur fummum Coum medicum 38).

Io. Manardus anno iam 1528 in hoc pulvere fibi defudandum effe, iudicavit. Cum *Thurino* in epiftola ad illum data, axiomata fequentia profert: 39)

- 1) duplicem effe humorem in phlegmone, fluentem fcilicet et fluxum.
- 2) fluenti debere retractionem, fluxo derivationem.
- 3) incipiente phlegmone prohibendum id, quod influit, in antiqua evacuandum id, quod eff in particulari oclufum.
- 4) revulfio ad contrarium, derivatio per rectum (*κζτ' ιξiv*) facienda.
- 5) utrumque per communes et coniuges venas faciendum.
- 6) revulfio inftar praefervationis agit, et multo tempore antecedere debet derivationem. — Monet tamen contra Arabiffas et pro *Briffoto*, dari omnino phlegmonem, cuius humor nec fluit, nec fluxit, fed fluet: huic inprimis convenire revulfionem. Hanc quoque moderationem applicat ceteris axiomatibus *Thurini*. Revulfio enim omnino creditur ab ipfo poffe in ipfo brachio, lateri affecto vicino, inffitui poffe, quippe cum diftantia fatis magna interfit pleuram et venam medianam. 40)

II.

38) lb. f. 3. b.

39) *Manardi* epift. medicin. lib. XIV. ep. 1. p. 361. (fol. Esfil. 1540.)

40) lb. p. 364.

Matth. Curtius. — Hier. Thriver.
Brachelius, — Ludov. Panizza.

Suppari aetate in partes *Briffoti* abiverat *Matth. Curtius*, qui ea fere, quae iste summam attigerat, uberius illustravit, variisque commentariis auxit. 41) — *Hieron. Thriverius Brachelius*, professor Lovanienfis, novam deinde inivit viam, quae aequae differt a *Briffoti* ac ab Arabum sententia. 42) Revulsio enim doctrinam falsis legibus niti: fluxam materiem et fluentem nullo discrimine differre, utramque adesse in phlegmone, contendit. 43) In revulsione praeterea semper respiciendum esse ad locum, unde humor vitiosus irruat: huc enim trahi debere. Quod si itaque symptomatica fuerit aut metastatica inflammatio, ad partes, unde metastasis orta sit, iterum revocandus humor phlegmonem excitans. 44) Hoc quidem ratiocinium inveneris fere apud plerosque eius aevi medicos, qui ea ratione se optime imitatuos esse naturam crediderunt. Maxime vero hoc urfit *Ludov. Panizza*, medicus Mantuanus, in libro, levi-

41) De venae sectione, tum in aliis adfectibus, tum vel maxime in pleuritide, 8. Lion. 1532. (A me non visus).

42) De missione sanguinis in pleuritide, 4. Lovan. 1532.

43) Comment, in *Hippocr. aphor. l. 22. p. 96.* (4. Lugd. 1551.)

44) Comment, in *sph. V. 68. p. 429.*

ter tincto literis et vix anicularum lucubratione digno, 45) quod nempe sanguis semper ex maxime oppositis locis, unde irruerit, sit evacuandus. Minimam enim esse portionem, quae ex immensa sanguinis massa ad locum illum mittatur. 46) Septimo tandem aut octavo die suavit venam e directo et in vicinis artubus esse secandam, neque multum interesse, sive mittatur sanguis ex ipso affecto loco, sive ex propinquo. 47)

12.

Leon. Fuchsius.

Celeberrimus deinde Graecanicae medicinae instaurator, qui

— *Arabum e castris vexilla redemit,*
et veterem in regnum Pacona restituit,

dum in scenam prodiret, magna certe molitus est. Repetens enim argumenta *Briffoti*, quae et in principio pleuritidis venam brachii in eodem latere esse secandam, suaderent, addidit etiam *rectitudinem fibrarum*. Intellexit autem sub hac voce continuum decursum fibrarum venae affectae ad venam secandam,

45) De venae sectione in inflammationibus quibuscunque fluxione genitis. fol. Venet. 1544.

46) Ib. summ. 2. f. 11. b.

47) Ib. f. 12. a. summ. 5. f. 45. b.

dam, qui adeo in proximis artibus optime sit observandus, in remotissimis vero penitus absit. Esse necessariam consideratu hanc fibrarum rectitudinem, non certe quod trahendo iuvent, quandoquidem sanguinis redundantis expulsio solarum transversarum fibrarum sit munus: sed quod excretrix facultas in ista fibrarum rectitudine actionem suam expeditius obeat. In revulsione humorum nec dextrum, nec sinistrum, nec sursum, nec deorsum, nec foras, nec intro contraria esse, nisi et in venarum fibrarumque recto cursu collocentur. Sic quidem dextrum latus sinistro contrarium non esse, nisi ab hoc in illud communis atque directa sit venarum societas, per quam sinistrum latus incisum e dextro possit evocare. 48) Derivationem praeterea et revulsionem posse omnino in uno eodemque vase institui, abunde demonstrare conatur. Sectio enim venae eiusdem lateris revellit, quia sanguinem a costis in contrarium, nimirum in brachium, trahit. Derivat, quod sanguinem aegram partem obsidentem, ad vicinam, nempe cavam venam, transfert. Hunc revulsum et translatum tandem extra corpus educit et vacuat. Secta autem in adverso brachio vena, pleuritidem lateris alterius non adimit, sed, cum illi nulla sit cum aegra particula rectitudo et societas, bonum duntaxat sanguinem educit, noxio in particula laborante relicto; aut puro sanguini ve-

48) *Leon. Fuchs.* institut. med. lib. II. sect. V. c. 5. P. 387. f. (8. Basíl. 1594.)

narum permiscet, et quod frequentissime accidit, pleuritidem alterius quoque lateris invehit. 49)

Anno 1536 *Bened. Victorius*, professor Patavinus, scripsit epistolam de venaesectiōe, qua Arabum doctrinam, neglectis plane et praetervisus coaeuvorum suorum dubiis, integram protulit, quod ex alio feriori opere uberius perspexeris. 50)

13.

Andr. Vesalius. — Gabr. Faloppia.

Optime certe meritis est immortalis anatomes instaurator de methodo, pleuritidi medendi. Quodsi enim conceditur, universam artem medicam tenebris quasi Cimmeriis obvolutam manere, donec a dissectionibus corporum humanorum lucem accipiat; hoc praecipue valet de sectiōe venarum. Antequam doctrina de circulo sanguinis esset extra omnem dubitationis aleam posita, venae primo semper loco describebantur, secundo et quasi appendicis loco, arteriae. A venis expectabantur functiones omnes, maxime vero nutritio. Hinc quoque fluxus et refluxus in iisdem vasis venosis ab ipso *Vesalio* assumebatur, ut
decla-

49) *Ib.* p. 391. Cf. ei. paradox, med. lib. II. c. 4. f. 64. a. (fol. Basil. 1535.)

50) *Bened. Victorius* de morb. curand. tom. II. c. 8. p. 298. (fol. Venet. 1562.)

declarari effectus venaesectionis in morbo laterali possint. Edidit nimirum iam anno 1539 epistolam, qua doceret, venam axillarem dextri cubiti in pleuritide cuiusvis lateris semper esse secandam. Quod ut luculentius pateret, inventum de ortu αἰθυραε; venae promulgavit, quae, cum ex dextro venae cavae latere originem ducat, transiens deinde ad membranam costas succingentem, consilium de dextri etiam brachii vena ubique secanda, confirmare deberet. §1) Quae opinio quanquam attentionem medicorum satis mereretur, haudquaquam tamen coaevorum applausum tulit.

Gabriel autem *Faloppia* ex alia parte insurgere ausus est contra suetas illas et vetustate conspicuas opiniones. Nullam enim fibrarum, quibus venae praeditae sunt, vel rectarum, vel transversarum esse efficaciam in attrahendis vel expellendis humoribus statuit, cum adeo implicitae sint atque intime secum complexae, ut potentia sola, non actu, agere possint. §2) Iam itaque, si modo voluissent, poterant medici, his antesignanis praeceuntibus, meliorem viam incedere, ut demum eliminari vetera fermenta spes esset. At veri detectio multo saepius casui fortuito,

§1) *Andr. Vesal.* de corp. hum. fabric. lib. III. c. 7. p. 323. (ed. *Albin.* fol. Lugd. Batav. 1725.) — *Ej.* epistol. de radic. *Chyn.* p. 641.

§2) *Falopp.* observ. anat. p. 394. (*Opp.* fol. Erf. 1600.)

fortuito, quam ratiocinio debetur, hominumque genus ita est a natura constitutum, ut, socordia ducti, plerumque malint coecutientes sequi maiores, quam ipsi inquirere veritatem.

14.

Marian. Sanctus Barolitanus. —
Thadd. Dunus.

Chirurgus iste, fidus Arabum suorum affecta, nihil antiquius duxit nihilque sanctius, nisi ex oppositis artibus primum sanguinem evellere. Cavendum praeterea censet, ne in initio pleuritidis evacuatio instituat, quae fere semper excipiatur debilitate partis affectae et graviore morbi exacerbatione. Progresso denique morbo posse omnino derivationem suscipi in partibus vicinis. ⁵³⁾

Thadd. vero *Dunus*, Locarnensis, doctrinae de fibrarum rectitudine in venae sectione servanda absurditatem perspicuens, rectitudinem generatim seu ἰξω, non de fibrarum continuitate, sed ita accipiendam esse, ut dextra dextris (sinistra sinistris) respondeant, docuit. Imo a dextris ad sinistra et a sinistris ad dextra valere rectitudinem, cum vasa multa utrumque
latus

⁵³⁾ *Mar. Sanct. Barolit.* comment, in Avicenn. text. f. 215. 2,
(4. Venet, 1543.)

latus permeent. 54) Revulsionem praeterea et derivationem ex una eademque vena fieri posse: ut, si inflammatio dextrum oculum invaserit, ex humeraria vena dextra revellimus, quia opposita est oculo, derivamus vero, quia vicina. 55) Hanc sanguinis missionem, quae derivatio fit simul et revulsio, omissam esse a *Galeno*. Revulsionem omnem ad radices venarum, et si fieri possit, ad venas brachii tentandam esse, excepta hepatis inflammatione. Recentem autem inflammationem tantum revulsione; confirmatam derivatione fugandam esse. 56) Ex cruribus fieri nullam revulsionem, sed tantum derivationem: quia nullae adsunt radices venarum. Licet enim ad ipsas radices institui nequeat venaesectio, sed ad ramos tantum, revellere eandem tamen ad radices. 57) Dextri deinde venam internam cubiti secare iubet in omni pleuritide, iisdem incitatus argumentis, ac *Vesalius*. Magna enim est, inquit, fontique vicina, et recta in ipsum tendit. Dum vero locus inter tertiam quartamque costam dolet, dextra axillaris non erit secanda, quia, ut autumat, haudquaquam huc transeunt rami azygae venae, sed alius. 58) Insignis inde orta est altercatio inter ipsum et *Fuchesium*, qui praesertim revulsio.

54) Nov. constitut. artis revellendi etc. lib. I. c. 3. f. 5. 6.

55) lb. c. 4. f. 11. b.

56) lb. c. 6. f. 14. a. b.

57) lb. c. 11. f. 20. a.

58) lb. c. 18. f. 28. a. lib. II. c. 4. f. 45. b.

revulsionem ex crurum venis posse fieri, demonstrare ausus erat. Noster tabula peculiari delineavit totum systema venosum, ut hanc opinionem defenderet. Arabum denique testimonia vir aequus et iustus nihili pendit, ideoque nusquam affert.

15.

Valvulae venae ἀζυγῆος.

Anno deinde 1547 *Amatus Lusitanus*, professor Ferrariensis, novam plane rem atque prius inauditam detexit. Duodecim enim hoc anno corpora humana et brutorum in theatro Ferrariensi dissecans, valvulas in ostio venae ἀζυγῆος manifestas invenit. Vena eadem itaque sanguinem, quem receperit a vena cava, non amplius ad eam remittere posse ipsi videbatur: quia retrogressivum esse unicum motum sanguinis in venis adhuc ignorabat. "Fabrefacta est vena ἀζυγῆος, inquit, ita in orificio suo, venae cavae coniuncto, ut ostiola quaedam habeat, quae ad hiantem sanguinem aperiuntur, postea vero ita clauduntur, ut sanguinem illum receptum non amplius remittere sinant: et ita huic venae sine pari evenit, quemadmodum vesicae urinariae aut cordis vasorum orificiis.," Experimenta narrat, quod nempe inflaverit ἀζυγῆα venam per venam cavam, hanc vero per illam inflare non potuerit ob resistantia ostiola. 59)

Citat

59) *Amat. Lusitan.* curation. medicin. cent. I. cur. 52, p. 84
(fol. Basil. 1556.)

Citat praeterea *Cannannum*, qui eadem observa-
verit.

Haec itaque egregia observatio *Vesalii* opinionem,
pro temporum praeiudiciis, refutare optime poterat.
Maior autem et summi momenti usus inde expectan-
dus erat, si anatomici hanc inventionem magis ex-
coluissent, et ad circuitum sanguinis applicuissent.
Verum enim vero manifesto demonstrat haec historia,
quantopere cara soleant praeiudicia esse hominibus,
quantaque difficultate pressos se sentiant viri cetero-
quin et docti et iusti, dum fueris suis commentis vale-
dicere iubentur. Siquidem *Vesalius* ipse contra
Cannani et *Amati* fidas observationes, penitus
negat, valvulas ullas adesse in venoso systemate. 60)
Imo ipse *Faloppia* nunquam se reperisse, neque
unquam vel in hominibus vel in brutis reperiri posse
talia ostiola, contendebat. 61) Nil itaque mirum,
si et *Barthol. Eustachius* dentem stili sui strin-
gere in bonum observatorem non dedignatus sit: *cum*
magno enim, inquit, *omnium risu attribuisse quosdam*
recentiores ostiola venae ἀζούει in cavam terminatae. 62)
Nec *Thadd. Dunnus* se has valvulas invenire potuisse
perhibet. 63) Ita non solum laus magnorum inven-
torum

60) Exam. observat. Fallop. p. 794. f. (Opp. ed. cit.)

61) Observat. anat. p. 395. f.

62) *Eustach.* de vena sine pari antigr. XI. p. 267. (Opuscul. 8.
Lugd. Bat. 1707.)

63) Art. evacuand. per venae sect. lib. IV. c. 8. f. 53. a. (8. Tigur.
1579.)

torum est suppressa, sed ipsi quoque mendaces habiti sunt et fraudulentum homines. Detexit post triginta demum annos *Fabricius ab Aquapendente* valvulas venosi systematis denuo, omnibusque imposuit seipsum primum esse huius rei inventorem. Tunc quidem *Hollerius* in re suo potuit iisdem argumentis, quibus *Amatus*, refutare *Vesalium*, quod ex vena ἀζυγῆ regurgitare nequeat sanguis in venam cavam. 64)

16.

Io. Fernellius.

Arrogantiae deinde tribueris merito discrimina huius methodi perpetua et fere nunquam cessantia: quod ex illustris pathologi Ambiani exemplo facile conor ostendere. Venam eiusdem lateris secat in pleuritide, qua simul revellere et derivare studet. Celeriter enim afferri subsidium vena vicina secta: revulsionem quoque in parte affecta institutam trahere rectis fibris venarum humores ex longinquis partibus, ex quibus irruerint. Haec a *Brissoto* mutuo accepta axiomata non impediunt tamen *Fernellium*, quominus contrarietatem quaerat in extremis et remotissimis partibus. Imo fluxuram materiem revelli tantum posse e distante loco, fluxam vero derivari e propinquo, contendit. Sin praeterea affectus

64) *Holler*, de morb. interz. lib. I. c. 26, p. 263. (12. Febr. 1591.)

fectus mitior sit, eligenda est angusta vena, eaque distantiore loco, ut minus, tardius et ignavius evacuetur. Affectus vero magnus et vehemens, cuiusque humor perniciosus est, fluxionis impetus praeceps, locus, in quem procumbit nobilis eximique sensus; amplam venam finitimo loco secare iubet. ⁶⁵⁾

17.

I. B. Montanus. — D. A. ab Altomari.

Iste, fidus veterum Graecorum affecta, in ipso *Rhazei* commentario venam semper e directo in pleuritide secandam esse censet. ⁶⁶⁾ — Hic vero, quamvis a *Brijsoti* partibus stare non dedignetur, taxat tamen Galenicis, qui semper e directo venam esse in pleuritide aperiendam statuerint. Praeservationis enim sine, atque, dum summa fuerit plenitudo humorum et virium imbecillitas, forsan et cacochymia, paulatim aliquid detrahi debere ex remotis artubus. Alias vena interna eiusdem lateris semper secanda. ⁶⁷⁾

18.

⁶⁵⁾ *Fernel*, therapeut. univers. lib. II. c. 5. p. 40. (8. Fref. 1593.)
meth. med. lib. II. c. 7. p. 33. (fol. Paris. 1567.)

⁶⁶⁾ I. B. *Montan.* exposit. in IX. libr. *Almansor.* f. 341. a. (8. Venet. 1554.)

⁶⁷⁾ *D. A. ab Altomari* de medend. hum. corp. mal. c. 50. p. 376. 378. 384. (8. Lugd. 1563.)

18.

Valverda. — Christ. a Vega.
Conr. Gesner.

Io. Valverda de Hamusco, qui sine iudicio *Vesalium* exscripsit, circa hoc tempus edidit anatomicam magnam, in qua totus adhaeret archetypo suo in suadenda sectione venae dextri brachii, sive fuerit in dextro, sive in sinistro latere sedes doloris pleuritici. ⁶⁸⁾

Christophorus a Vega, in omni pleuritide, ubiubi dolor figatur, secandam esse venam eiusdem lateris, vel ad lipothymiam usque, iussit. ⁶⁹⁾

Cum anno 1564 pleuritides epidemicae per Helvetiam grassarentur, *Conradus Gesner* observavit, venae e directo sectionem inutilem esse: *ad malleolos*, inquit, *nunc secamus felicius*. ⁷⁰⁾ Tanta potuit opinionum praevalentium dominium apud virum doctrina ceterisque virtutibus plerosque coaevos longe antecellentem.

19.

⁶⁸⁾ Anatomia del corpo umano, lib. VI. c. 7. f. 122. a. (fol. Rom. 1560.)

⁶⁹⁾ De arte medendi lib. III. c. 5. p. 570. (fol. Lugd. 1564.)

⁷⁰⁾ C. Gesner epist. lib. I. f. 19. b. (4. Tigur. 1577.)

Monardes. — Joubertus. — Argenterius.

Nic. Monardes doctrinam de revulsione ulterius illustrare sibi proposuit, et in singulari libello ostendit, ex latere affecto omnino posse, et melius quidem, revulsionem fieri. Dividit enim revulsionem secundum longitudinem, latitudinem et viciniam partis. Cum menstrua suppressa sint, in pleuritide saphena secanda, ut secundum longitudinem sanguis revellatur. Cum plenitudo non fuerit excellens, vena oppositi brachii secanda, ut secundum latitudinem revellatur. Revellitur autem ad propinquum, dum nulla adest plenitudo, dum aeger debilis et humor venenosus est: debilitatae vero partes *Monardi* non videntur humores attrahere. 71)

Eodem modo argumentatus est celebris ille et acris praeiudiciorum aevi sui vituperator, *Laurentius Joubertus*, cancellarius academiae Monspelienensis, qui ridet rectitudinem fibrarum in revulsione servandam: expulsionem fieri transversis fibris. Sed rectitudinem eam tantum esse, quae dextras cum dextris, sinistras partes cum sinistris iungat. 72) Revulsionem

71) De vena secanda in pleuritide f. 6. a. 8. a. 12. b. 13. b. (8. Antverp. 1564.)

72) *Laur. Joubert*, paradox. medic. lib. I. 9. p. 258. (8. Lugd. 1566.)

tionem non requirere distantia loca, sed posse etiam in propinquis fieri. 73)

Contra vulgares opiniones dimicat *Ioann. Argenterius*, dum rectitudinem versari neque in fibris, neque in communitate vasorum contendit, dum praeterea docet, revulsionem et derivationem fieri non posse per easdem venas. Respicit insuper ubique ad originem fluxionum, et ad hanc venae sectionem esse instituendam perhibet. Dum fluxio enim ex toto corpore mittatur, venae sectio in remotissimis partibus, dum ex parte tantum, proxime ad locum affectum mittendus sanguis ipsi videtur. Ob partium deinde nobilitatem et affectus vehementiam nunquam in vicinis venis sectio instituenda. *Vesalium* denique taxat, quod pleuritides nempe orientur in venis costas nutrientibus: affici potius venas, quae ad membranam succingentem et ad musculos intercostales pervadant. 74)

20.

Horat. Augenius. — Oddus
de Oddis.

Magnae molis opus promulgavit primum anno
1570 *Horat. Augenius a monte sancto*, ut Arabum

C 2

73) lb. parad. 10. p. 272.

74) *Argenter. comment. III, in Galen. art. medic. p. 415. 420. (fol. Vener. 1592.)*

et Barbarorum doctrinam de loco venae sectionis in pleuritide defenderet. At praeter vulgaria argumenta et copiosa veterum testimonia, novum ne ullum fere argumentum in medium produxit. 75) Indicationem revulsionis non petit a motu humoris, sed ab affectae partis situ et consensu. Triplex est humor revellendus, primus, qui in partis substantiam iam sparsus, secundus, qui in venis ejus partis continetur, tertius, qui ad affectum locum movetur et morbum excitare potest. 76) Nunquam autem in pleuritidis initio revulsio tentanda in affecti membri vicinia, sed in remotissimis partibus. 77) Ceteroquin egregie dimicat contra venae sectionis usum in cacochymia, qui tum temporis a Botallo commendatus, maxime vigeret. 78) De virium denique ratione in corpore lectu digna profert maximique momenti theoremata. 79)

Graecorum dogmata hoc anno applicavit ad venae sectionem in peste ipsa *Oddus de Oddis*, professor Patavinus. Ex basilica mittendum suadet sanguinem

75) *Augen.* de ratione curandi per sanguinis mission, lib. VII. c. II. p. 207. (fol. Erf. 1598.)

76) *Ib.* lib. II. c. 18. p. 55. 56.

77) *Ib.* lib. VII. c. 5. p. 192. f.

78) *Ib.* lib. IV. c. 2. p. 101.

79) *Ib.* lib. III. c. 12. p. 75. f.

in peste, cum eadem vena proxime iecur, fontem sanguinis, respiciat. ⁸⁰⁾)

21.

Guinther. Andernacensis. —
Thom. Erastus.

Syncretismo male intellecto conspicuus *Guintherus* dogmata Graecorum cum Arabum et Paracelsi affectarum commentis conjungere studuit: proclivis tamen omnino in partem Arabistarum. Repetit in spisso suo opere trivialia ista Arabum dogmata de necessaria revulsione ex diffitis venis, dum levior fuerit affectus: indoctos eos vocat, qui, *Vesalio* duce, dextram tantum axillarem secant. In initio pleuritidis malleolos secare iubet, in progressu morbi vero venam eiusdem lateris. ⁸¹⁾)

Circa idem tempus *Thom. Erastus*, celeberrimus Paracelsi antagonista, Arabum dogmata de revulsione defendere sibi sumisit, maximeque docuit derivationem non posse una cum revulsione in eodem vase fieri. Cuius opinionis argumenta petit inde, quod

80) *Odd. de Oddis* de pestis praecautione, lib. III. c. 18. f. 50. b. (8. Vener. 1570.)

81) *Guinther. Andernac.* de medicin. veter. et nov. comment. II. dial. 3. p. 52. 80. 81. (fol. Basil. 1571.)

quod in revulsione humores fere semper ad fontem, unde influxerint, retrahantur. Revulsio enim, ipsius arbitrio, minime nominanda evacuatio, qua fluentes quidem succi vacuantur, sed versus affectam partem attrahantur, quantumvis ultra eam secundum latus longius abducantur. Quare sanguinis, ab hepate ad renes fluentis, versus venas poplitum et malleolorum attractio, non est revulsio, licet a renibus versus pedes procul avocetur. Tunc enim defluens sanguis non retrahitur sursum, id est, versus fluxionis principium. Ratio eadem est sanguinis ab hepate sursum delati, et per venam sine conjuge in pleuram effusi. Quippe, si in hoc casu vena cubiti secetur, nequaquam revulsio nuncupari propria poterit eius modi vacuatio, tametsi longius abstrahat sanguinem, quam ad praedictam usque venam conjuge carentem. ⁸²⁾

22.

Hier. Mercurialis. — Franc. Vallesius.

Doctus uterque et Graecanica medicina insigniter conspicuus vir! Ille quidem derivationem praefert revulsioni in pleuritide curanda: ⁸³⁾ et, suppressis ipsis

⁸²⁾ Thom. Erast. disputat. et epistol. medicin. Disp. X. f. 12. a. (4. Figur. 1595.)

⁸³⁾ Mercurial. consultat. et respons. medicin. tom. III. conf. 71. p. 116. (fol. Venet. 1620.)

sis menftruis, ex pedum venis detrahere ftudet fan-
guinem. 84)

Vallefius fecandam venam eiusdem lateris in
pleuritide fuadet, etiamfi primo morbi die accerfa-
mur, quod vel primo die neceffe eft aliquid fluxiffe.
Quodfi vero citra malum aliquod, folo praecautionis
fine, fanguis mitti debeat, nihil prohibere et latera
excedere et quamcunque aliam membrorum focieta-
tem negligere. 85) Deinde contra reftitudinem fibra-
rum dimicat, quae nulla prorfus fit. Vituperat de-
nique *Amatum Lufitanum*, „qui invexit novum
“quoddam figmentum, volens nobis imponere in re
“evidenti. „ 86)

23.

Paraeus. — Campolongus.

Ambrof. quoque *Paraeus* venae fectionem *κατ'*
ἔξω in capitis vulneribus ita adminiftrat: „Si la par-
“tie dextre de la teſte eft bleſſée, la ſaignée ſe fe-
“ra de la veine cephalique du bras droit, ſ'il
“n'y

84) *Id.* de morbo muliebr. lib. IV. c. 7. p. 113. in *Bauhin.*
gynaec. tom. II.

85) *Vallef.* controverf. med. et philof. lib. VII. c. 4. p. 306.
(fol. Erfc. 1582.)

86) *Ib.* p. 309.

“n’y avoit grande plénitude et en défaut de la ce-
 “phalique, faut ouvrir la mediane: — et si la bles-
 “seure est du costé fenestre, sera fait le semblable
 “du bras fenestre, plustost qu’à l’opposite, afin que
 “plus ayément on attire et decharge la partie par
 “la rectitude des filamens. „ 87)

Aemil. *Campolungus* in arthritide venam e
 contraria parte oppositam incidit, dum evacuari san-
 guis ex univërfa debet massa; ex proximo autem lo-
 co, dum pars tantum unica afficitur. 88)

24.

Trincavella. — Valleriola.

Victor Trincavella post illos auctores iterum
 arma contra *Brissotum* sumisit, adeoque σοφιστι-
 κως et captiose militavit, ut vel maximam operis partem
 legendo percurrere potueris, priusquam ipsam aucto-
 ris opinionem divinaveris. Maximi momenti putat
 discrimen inter *revulsionem absolutam* et *revulsionem*
secundum quid: illa in remotis, hæc in vicinis par-
 tibus administratur. Cum enim impetus adest univër-
 falis aut ad plures partes, revulsio absoluta erit ten-
 tanda,

87) Les oeuvres d’Ambr. Paré, liv. X. ch. 14. p. 230. (fol.
 Lyon. 1641.)

88) *Campolung.* de arthritide c. 42. p. 50. (4. Venet. 1586.)

tanda, non secundum quid. 89) Hoc axioma applicat ad pleuritis curationem, quae sectione venarum remotarum tantum perficiatur; namque, dum vena eiusdem lateris incidatur, sanguinem uberius attrahi versus partem affectam. 90) Cum *Brissotus* sua nitatur experientia, noster quoque observationes bene multas profert, ubi pleuritis curatio per venarum vicinarum sectionem male successerit, optimo autem eventu fuerit coronata, dum ex remotis artibus sanguis mitteretur. 91) *Hippocratis* consilium de vena interna eiusdem brachii secanda, esse *particulatim* sumendum, neque applicari posse ad plures casus. 92)

Franc. Valleriola intime adhaeret *Brissoto*, neque ullam in pleuritide nisi internam eiusdem lateris venam secat. 93)

25.

89) *Vig. Trincavell*, de venae sectione, col. 985. (fol. Basil. 1557.)

90) *Ib.* col. 997.

91) *Ib.* col. 999.

92) *Ib.* col. 1003.

93) *Observ.* lib. I. 8. p. 69. lib. V. 10. p. 358. (8. Lugd. 1605.)
— *Enarrat. med.* lib. I. 3. p. 106. (8. Lugd. 1589.)

Maffaria. — Sylvaticus.

Sua aetate plane iam expugnatam esse veterem methodum, atque *Briffoto* omnes fere medicos adhaerere, *Alex. Maffarias* contendit. "Anteaeta enim, inquit, aetate maximus quisque ac celeberrimus medicus in pleuritide ac aliis internis inflammationibus venam ex opposito latere secandam iubebat, docebat, contendebat: quae opinio tamdiu viguit, donec ope illustrium medicorum, auctoritate Graecorum, praesertim *Hippocratis* et *Galenii*, ita expugnari coepit, ruere atque collabi, ut in praesentia fautorem sectatoremque nullum habere videatur., 94)

Contradicit huic asserto ipse Infubriae medicus, *Jo. Bapt. Sylvaticus*, *Maffariae* coevus, qui revulsionem, praesertim in pleuritide ob plenitudinem, ubique derivationi praefert. Doloris ipsius vehementiam haud quaquam repugnare revulsioni, cum derivatione adhuc saevior fiat. 95) Magnopere se ceteroquin torquet auctor in exponendo secumque conciliando *Hippocrate*. 96)

26.

94) *Maffar.* de abusu medicam. vesicant. et theriac. in febr. pestil. disp. II, lib. II. f. 310. a. (4. Patav. 1591.)

95) *J. B. Sylvatic.* controvers. med. 36. p. 172. (fol. Frf. 1601.)

96) *ib.* p. 176.

Cativaccius. — Vidius.

Sequitur etiam opinionem eorum, qui Graecum Arabibus conciliare studebant, *Hieron. Cativaccius*, professor Patavinus. Secundum triplicem enim sanguinis subsistentiam tres venas secandas esse in thoracis inflammatione arbitratur. Dum corpus universum sit sanguine repletum et sanguis habeat subsistentiam in partibus infernis, saphenae sectionem cum *Avicenna* probat, dum vero in partibus superioribus, sectionem brachii utriusque. Materies si fluxa sit exigua, vena saphena oppositi lateris incidenda, si copiosior, vena eiusdem lateris; quae etiam secanda, dum dolor fuerit vehementior. 97) Alio loco ita hoc discrimen profert: Dum plethora vera adsit, vena eiusdem lateris secanda: si vero cacochymia, potest et ab opposito latere vena secari. 98)

Parum differt denique a *Cativaccio*, ultimus saeculi huius scriptor, *Guido Guidi*, qui nimirum revulsionem in longinqua tentat, ubi contra naturae leges influant humores. Si vero ipsum latus *ἰδιοπαθικως* recipit sanguinem, derivat illum ex ipso latere. 99)

97) *Cativaccii* pract. med. lib. II. c. 3. p. 532. (Opp. fol. Vener. 1606.)

98) Comment. in aphor. lib. I. 3. p. 306.

99) *Vid. Vid.* de curat. membr. lib. VIII. c. 17. p. 379. (Opp. fol. Erf. 1626.)

Theses.

— o —

Theses.

I.

Medicinae studium est antiquissimum.

II.

Malum hypochondriacum et hystericum eiusdem esse videntur originis.

III.

Principia morborum nec in solidis, nec in fluidis, nec in nervorum viribus solis, sed in omnibus simul sunt quaerenda.

IV.

Prodromos cujusdam morbi primum ut multi voluerunt stadium esse nego.

V.

Ledum palustre inter specifica s. d. tussim convulsivam tollentia, est referendum.

VI.


Signa, ex solo pulsu petita, saepe fallunt.

VII.

Inter raros casus morbi venerei infectio sine peracto coitu est numerandus.

VIII.

Effectus emeticorum non unice in evacuatione primarum viarum consistit.



602.
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,

QVA

HISTORIA LITIS
DE LOCO
ENAESECTIONIS
IN PLEVITIDE

AECVLO XVI. INPRIMIS HABITAE
VENTILATVR,

QVAMQVE

SENSV FACVLTATIS ILLVSTRIS MEDICAE,
PRAESIDE

PHIL. FRID. MECKEL,

DOCTOR. ET PROF. PVBL. ORDIN., INSTITVT. CLIN.
CHIRVRG. DIRECTORE,

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OBTINENDO

DIE SEPTEMBRIS MDCXCIII.

PUBLICE DEFENDET

ILIELM. THEODOR. MASCHKE,

BVCHWALDIA - SILESIVS.

HALAE,

TYPIS CVRTIANIS.